

illius asseclarum, Goclenii, &c. rationes & Exempla (a) quòd nempè veneficæ conjectæ in aquam non submergantur propter exutam veri hominis proprietatem & assumptam levem naturam in corpore Sagarum, & quidem Satanicam; quamvis magna superinjecta gestet pondera. vid. Arumæum. *d. Diss. ult. th. penult.* unde etiam fiat, quod Sagæ propter levitatem brevissimo temporis spatio, unâ nocte innumera peragrent milliaria, (c) quòd naturalis sit ἀντιπάρσεια inter aquam & veneficas, uti συμπαρσεια inter homicidam & corpus occisi, ita ut nolit aqua Sagas in alveum recipere, quia Baptismo abusæ fuissent, (3.) quòd Scribonius per ipsam visionem & Exempla expertus sit, nullas Sagas posse submergi, nec contraria Exempla produci possint.

Ad 1. enim Resp. Negando: Quis enim ita extitit absurdus, qui veneficas etiam post ictum cum Diabolo fœdus, corpus & animam rationalem, res sc. ipsam hominis constituentes substantiam retinere unquam negare fuerit ausus? etiamsi quodammodo, vel in totum etiam, qualitates mutent priores. Ut enim frigus & calor in aqua non tollit ejusdem humiditatem: ita nec hominis vel pietas vel impietas, corporis tollit gravitatem; Deinde illud non Sagarum levitati, quando intra breve temporis spatium tot innumera peragrant milliaria, sed Dæmonis tribuendum est potestati, qui non tantùm veneficas, sed & cum illis homines alios Magiæ prorsus ignaros, ad Magorum Conventus tantâ ducere exportareq; solet velocitate. Heinsius *in d. Diss. p. 20.*

Ad 2. dicimus, quemadmodum supra negavimus Effluxionem sanguinis è corpore mortui in præsentia homicidæ tanquam Indicium incertissimum; ita negamus simile fundamentum, quò nituntur dissentientes; Insuper Baptismi usus tantum post Christum natum cœpit; & ista contumelia sc. abusus Baptismi, tantùm in Deum, cujus fœdus violatur, non verò in Creaturam inanimatam redundat. Imò hoc si verum, tùm non omnem in aquam redundaret, sed in sacramentalem solum. Jac. Britannix Rex *in Demonolog. sua lib. 3. c. 6. f. 189.* Heins. & Gödelm. *dd. loc.* Göhaus. *d. quest. 1. pag. 16. 17. 18. & seqq.* ubi alias objectiones refutat.

Quod attinet tertio loco adductam visionem & Exempla Scribonii, Resp. quòd quidem permittente Deo ex potestate Diab-

bo-